B. C. D.

DISSERTATIO LOGICA DE

LOGICES AMPLITUDINE,

CUJUS

PORTIONEM SEPTIMAM

SUB PRÆSIDIO

DN. JOHANNIS JACOBI WITTERI,

Logices & Metaphysices Professoris Publici Ordinarii & Capituli Thomani Canonici,


d. 25. Januarii M DCC XXXVII.

SOLENNI PLACIDÆQUE CENSURÆ

submittit

JOHANNES MICHAEL ZENTGRAFF, Argentoratensis.

Horis Locoque solitis.



ARGENTORATI,

Typis, MELCHIORIS PAUSCHINGERI, Typogr.



17

VIRIS
Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis, Prudentissimisque
DOMINO
JOH. CHRISTOPHORO
REICHARD,
Illustris Collegii Tredecimviralis Civitatis Argentoratensis Assessori Splendidissimo, Universitatis Scholarchæ Meritissimo,
DN. JOH. GERHARDO
à STOECKKEN,
JCto & Civitatis ejusdem Quindecimviro Gravissimo,
COLLEGII WILHELMITANI
PRÆFECTIS MUNIFICENTISSIMIS.
Venerando itidem Ejusdem Collegii
DNN. VISITATORUM ORDINI
ATQUE
DN. INSPECTORI
NEC NON
VIRIS
Generis, Virtutis, Dignitatis & Meritorum gloria ac splendore maxime conspicuis,

VIRO

Nobilissimo, Amplissimo, Experientissimo atque Excellentissimo

DN. JOH. SALTZMANNO,

MEDICINÆ DOCTORI,

Pathologiæ in Universitate Argentoratensi Professori Publico Ordinario longe Celeberrimo, Capituli Thomani Canonico Seniori Meritissimo, atque Acad. Imperial. Nat. Curios. & Societat. Reg. Berolinensis Sodali Gravissimo,

Suo è Sacro Baptismatis fonte* Ἀναδόχῳ *ad aras usque suspiciendo.

VIRO

Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimoque

DN. JOH. NICOLAO KEMPFFERO,

JCto & Satrapiæ Dorlisheimensis, aliorumque Alsatiæ locorum Præfecto dexterrimo.

VT ET

VIRO

Plurimum Reverendo, Præclarissimo atque Doctissimo

DN. JOH. DAVIDI

KARCHERO,


Evangelici Gregis, qui Deo in Templo Prædicatorum colligitur, Diacono dignissimo, animæque suæ Curatori vigilantissimo.

DOMINIS SUIS, PATRONIS ATQUE FAUTORIBUS

Omni observantia & honoris cultu perpetim prosequendis,

PHILOSOPHICAM HANC DISSERTATIONEM IN DEVOTI ANIMI TESSERAM SACRAM ESSE VOLUIT

Cliens & Cultor Devinctissimus,
JOH. MICHAEL ZENTGRAFF,
Argentoratensis.



§. I.

TErtius, qui inter *Socraticos*, seu novæ Sectæ conditor, celebratur, EUCLIDES MEGARICUS fuit, (1) cujus Sectatores cognomine, à patria ejus desumto, inclaruerunt. (2) Neque vero hic *Socrati* adeo firmiter adhæsit, quin & alios consuleret. Arriserunt ei *Eleaticorum* inprimis placita; namque DIOGENES LAERTIUS (3) memoriæ prodidit, eum PARMENIDIS studiosissimum fuisse, imo CICERO (4) XENOPHANEM, cui Eleaticæ scholæ origo adscribitur, disciplinæ

Megaricæ principem, aliorum inductus auctoritate, facit. Testimonio hoc & doctrinarum consonantia PETRUS GASSENDUS (5) & PETRUS BAELIUS (6) freti, verosimillima ratione existimant Eleaticorum sectam ab EUCLIDE fuisse continuatam.

(1) *Socraticis Euclidem* adscribit *Diogenes Laërtius* II, 107. *Strabo* Geograph. IX, p. 271. *Stephanus Byzantinus* de Urbibus v. Μέγαρα. *Aulus Gellius* Noct. Attic. VI, 10. *Decreto*, inquit, *suo Athenienses caverant, ut, qui Megaris civis esset, si intulisse Athenas pedem prehensus esset, ea res ei homini capitalis esset, tanto Athenienses odio flagrabant finitimorum hominum Megarensium. Tum Euclides qui indidem Megaris erat, quique, ante id decretum, esse Athenis, & audire Socratem consueverat, postquam id decretum sanxerunt, sub noctem, cum advesperasceret, tunica longa muliebri indutus, & pallio versicolore amictus & caput rica velatus, domo sua Megaris Athenis ad Socratem commeabat, ut vel noctu, aliquo tempore, consiliorum sermonumque ejus fieret particeps: rursusque, sub lucem, millia passuum paulo amplius viginti, eadem veste illa tectus, redibat. Plato* initio *Theateti Euclidem* se sæpius Athenas profectum & ex Socrate profecisse narrantem inducit. Memorat insuper *Laërtius* II, 106. ex *Hermodoro*, *Platonem*, reliquosque philosophos, defuncto Socrate, metu atrocitatis Tyrannorum compulsos, ad *Euclidem* confugisse.

(2) Asseclas ejus *Megaricos* fuisse dictos testis est *Diogenes Laërtius* II, 6. *Aristoteles* Metaphys. IX, 3. *Cicero*, loco mox citando. *Strabo* l. c. *Lactant. Divin. Instit.* III, 12. alii-

aliique. Secta ipsa ab Auctoris patria *Megarica* appellata fuit. conf. præter alios *Galenus*, vel quisquis Auctor est libri de Historia philosophica, inter ejus opera extantis, c. 3.

(3) II. 106. οὗτος καὶ τὰ Παρμενίδεια μετεχειρίζετο.

(4) Acad. Quæst. Lib. II. p. 1045. *Herillus, cum Zenonis auditor esset, vides quantum ab eo dissenserit, & quam non multum à Platone Megarici, quorum fuit nobilis disciplina, cujus, ut scriptum video, princeps Xenophanes, quem modo nominavi: deinde eum secuti, Parmenides & Zeno: itaque ab his Eleatici philosophi nominabantur. Post Euclides, Socratis discipulus, Megareus, à quo iidem illi Megarici dicti.*

(5) T. I. Opp. p. 40.

(6) Diction. Hist. & Crit. v. *Euclide*.

§. II.

Maneat tamen per nos licet in *Socraticorum* consortio EVCLIDES, ob illam ipsam convenientiam, quæ his cum Eleaticis intercessit. Haud exiguam constituit Dialogistica & ad Sophisticam atque Scepticismum inclinans disserendi ratio, quæ utrique placuit parti. (1) Dialogi in Eleatica Schola reperti, & à *Socrate* commendati, EVCLIDI quoque non displicuere; DIOGENES enim LAERTIVS eum sex dialogos conscripsisse testatur.

(2) In ipſo diſputandi modo *Socrates*, Piraſtam agens, interrogabat ſemper, reſpondebat nunquam; (3) Eleatici (4) quoque rogabant, ita tamen, ut & reſpondendi præcepta traderent, eosque hac in parte, relicta *Socratis* ſententia, ſecutum fuiſſe EVCLIDEM cum aſſeclis ex DIOGENE (5) diſcimus. Quin imo aliquale divortium à *Socrate* adhuc vivente EVCLIDEM jam feciſſe apud EVNDEM (6) legimus, dum Eriſticum ſeu contentioſum ſermocinandi genus, ab Eleaticis inventum, (7) vehementer ſectatus, ideoque à *Socrate* reprehenſus fuiſſet.

(1) Conf. Diſſ. V, 5, 11, & 12. IV, 10.

(2) II, 108. Apud *Diogenem Laërtium* IX, 53. hæc lego: οὗτος καὶ τὸ Σωκρατικὸν εἶδος τῶν λόγων πρῶτος ἐκίνησε. *hic primus fuit, qui ea diſſeruit methodo, quæ poſtea Socraticis arriſit.* De *Protagora* ſermo eſt, qui Eleaticorum placita arripuit principemque inter Sophiſtas locum occupavit.

(3) Diſſ. V, 11, 12.

(4) Diſſ. V, 5.

(5) II, 106.

(6) II, 30.

(7) Diſſ. IV, 9.

§. III.

Propter hoc Eristicum atque Contentiosum disserendi artificium, quod, uti mox videbimus, à Megaricis magis fuit excultum, *Eristicorum* seu *Litigiosorum* nomen eorum scholæ eminenter inhæsit, (1) & Schola ipsa *Eristica* dicta fuit; (2) ac speciatim post reliquos Socraticos, de EUCLIDE TIMON PHLIASIUS apud LAERTIUM (3), eum contentionis rabiem in civitatem Megarensium invexisse observavit. Ob studium vero, de quavis re in utramque partem ex æquo disputandi, *Dialecticorum* quoque nomine insignitos eos fuisse LAERTIUS (4) tradit. Magni hoc ingenii opus erat, & inprimis de EUCLIDE GALENUS (5) memorat, eum nulli Socraticorum ingenii vi cessisse.

(1) DIOGENES LAERTIUS II, 106. Supra Diss. IV, 9. vidimus *Aristoclem*, apud *Eusebium*, *Xenophanem* Eristicorum principem facere; Eadem tribuit *Zenoni Eleatæ Galenus* de Hist. Philos. c. 2. his verbis; Ζήνων ὁ Ἐλεάτης τῆς ὠειςικῆς (lege Ἐριςικῆς) φιλοσο-

φίας ἀρχηγὸς μνημονεύεται γεγονώς. *Zeno Eleates Contentiosa philosophia princeps memoratur*; Ejusdem artis inventionem *Protagora* adscribit Laërt. IX, 52. sed optimam *Vossius* de Sectis Philosoph. XI, 3. conciliationem attulisse videtur, existimans, *Zenonem* (addimus *Xenophanem*, *Protagoram*, &c.) primum tales contentiones movisse, *Euclidem* vero eas promovisse atque auxisse.

(2) vid. *Galenus* loco mox citando num. 5. Ob eandem rationem *Diogenes Cynicus Euclidis* Scholam non σχολὴν sed χολὴν, *bilem* appellavit, teste *Diog. Laërt.* VI, 24.

(3) II, 107. verba huc spectantia hæc sunt:

. . . . . οὐδ' ἐριδάντεω
Εὐκλείδου Μεγαρεῦσιν ὃς ἔμβαλε λύσσαν ἐρισμοῦ.
. . . . . *neque litigiosi*
Euclidis, qui Megarensibus contentionis rabiem invexit.

(4) II, 6. ubi tradit *Dionysium Carthaginensem* primum fuisse, qui Megaricos ὕστερον *tandem Dialecticos* cognominavit, διὰ τὸ πρὸς ἐρώτησιν καὶ ἀπόκρισιν τοὺς λόγους διατίθεσθαι. Sensus horum verborum duplex esse potest: primo, eos in disputando non solum, more *Socratis*, tentasse seu interrogasse, sed & responsiones admisisse; deinde, eos in declamationibus, more Sophistis familiari, cuivis orationi contrariam seu responsoriam subjunxisse. Conf. Laërt. IX, 51. & 53. Cæterum quocunque modo *Laërtii* verba interpreteris, Dialecticorum cognomen jure meruerunt. Conferri insuper, circa *Dialecticorum* cognomen, hic possunt quæ Diss. I, §. 5. not. 4. & 5. à nobis fuerunt disputata. Locis ibi allegatis addi jam poterit *Galenus* de Hist. Phil. c. 3. ubi de cognominibus Philosophiæ agit: ἡ δ' ἀπὸ μέρους τῆς φιλοσοφίας, ὃ μάλιστ' ἐπετήδευσαν, ὡς Διαλεκτική· *partim cognominata est à parte aliqua philosophiæ, cui præ cæteris operam dederunt philosophi, ut Dialectica.*

(5)

(5) Hiſt. Philoſ. c 2. Locum græce ſic exhibet editio *Renati Charterii*: ἀλλ' οὐδὲ τῶν Μεγαρικῶν Εριστικὴν δίκαιον παριδεῖν. ὡς τῶν Σωκρατικῶν, οὐδενὸς δεύτερος τὴν διάνοιαν γεγονώς. Nemo non videt, locum hunc, ut plurima alia hujus ſcriptoris, librariorum incuria truncatum, hoc fere modo reſtituendum eſſe: ἀλλ' -- παριδεῖν· ἧς ἦρχεν Εὐκλείδης, εἷς τῶν Σωκρατικῶν κ. τ. λ. *neque fas eſt Megaricorum ſucceſſionem, Eriſticam dictam, ſilentio præterire, cujus auctor Euclides, unus ex Socraticis fuit, qui ingenii vi neminem ante ſe reliquit.*

§. IV.

Cæterum forſitan non tam inſanus ille contradicendi pruritus in cauſſa fuit, cur Eleaticæ Scholæ EVCLIDEM adſcripſerit CICERO, quam ratio dogmatum ipſorum, à ſe ipſis parum diſcrepans. Equidem haud ignoro, moris id eſſe pleriſque antiquorum auctorum, quorum pauci ſectarum veterum dogmata, qua fas fuit, diligentia ſcrutati ſunt, ut conjungant eos ſententiis, quos iisdem verbis uſos fuiſſe vident; quum tamen opinionibus interdum vehementer diſtent, quibus eadem in ore verba ſunt; (1) quod ſi

si tamen universæ Megaricæ disciplinæ ambitum simul complectemur, atque cum Eleaticis somniis comparabimus, utrosque eadem chorda oberrasse deprehendemus, & hinc infucatum de Megaricorum circa Logices amplificationem conatibus judicium feremus.

(1) Conf. Vir Summus *Joh. Laurentius Mosbemius* in notis ad *Radulphi Cudvvorthi* Systema intellectuale pag. 462. V. C. *Jacobus Bruckerus* in Otio Vindelico p. 85. seqq. & Doctiss. *Samuel Werenfelsius* de Logomachiis eruditorum c. 5.

§. V.

Scilicet disciplinæ Eleaticæ conditor cum asseclis omnia nonnisi Unum esse, & certum de rebus judicium afferri non posse asseruit; (1) Parum vero vel plane non ab hac sententia recessit EVCLIDES, affirmante enim DIOGENE LAERTIO (2) Bonum esse Unum dixit, multis nominibus celebre; aliquando Deum, alias mentem appellari, & sæpe aliis quoque voca-

vocabulis; quæ vero bono adverſa viderentur, ſuſtulit, ea, ne eſſe quidem, dicens. Conferri cum hoc poterunt CICERO (3), & qui ſua ex hoc mutuatus eſt, LACTANTIVS. (4)

(1) Fuſe hoc ſuperioribus Diſſertationibus IV. & V. demonſtratum fuit.

(2) Verba ejus græca ex lib. II. §. 106. hæc ſunt: οὗτος ἓν τὸ ἀγαθὸν ἀπεφαίνετο, πολλοῖς ὀνόμασι καλούμενον· ὁτὲ μὲν γὰρ φρόνησιν, ὁτὲ δὲ Θεὸν, καὶ ἄλλοτε νοῦν, κ. τ. λ. τὰ δὲ ἀντικείμενα τῷ ἀγαθῷ ἀνῄρει, μὴ εἶναι φάσκων.

(3) Academ. Quæſt. lib. II. p. 1045. ubi notanter *Eleaticos* cum *Euclide* conjungit, *Eleatici*, inquiens, *poſt Euclides, id bonum ſolum eſſe dicebant, quod eſſet Unum & ſimile & idem ſemper.*

(4) Divin. Inſtit. III, 12. *Merito ergo philoſophorum non obſcurus Euclides, qui fuit conditor Megaricorum diſciplinæ, diſſentiens à ceteris, id eſſe ſummum bonum dixit, quod ſimile ſit & idem ſemper.*

§. VI.

Equidem RADVLPHVS CVDVVORTHVS (1) exiſtimat EVCLIDEM, ex *Xenophanis* & *Parmenidis* mente, de Deo hæc omnia dixiſſe. Hunc bonum ſive ipſam bonitatem vere ac proprie vocari

 debere

debere contendisse; hunc idem, hunc unum, hunc simile, hunc semper esse putasse; hujus denique compos & similis qui evaderet, eum demum vere beatum & felicem appellari posse. Caeterum, aut omnia nos fallunt, aut venenatus Pantheismi, aut non multum differentis speciei serpens in herba illa latet; (2) quod fusius demonstrare possemus, si Metaphysices Historiam conscribendam in nos jam suscepissemus. Quicquid sit, idem, quod supra (3) de *Xenophane* judicium tulimus, audenter hic repetimus, & in eadem scaturigine Sophismatum, quibus Megarici scholam suam conspurcarunt, originem haud temere quaerimus.

(1) Systen. intellect. p 478. edit. Moshem. Eandem fovet sententiam Vir doctissimus *Gottlieb Stollius*, in Historia doctrinae moralis Ethnicorum, lingua Germanica edita §. 57. p. 70.

(2) *J. Fr. Buddeus* Thes. de Atheismo c. 1. §. 17. *Megarici*, inquit, *cum ex Socratica disciplina nihil praeter acumen disputandi retinuissent, cavillationibusque logicis toti dediti essent, ad Atheismi facile progredi stultitiam poterant.*

(3) Diss.

(3) Diff. IV. §. 10. P. *Gassendus* de Log. Orig. c. 3. non diffitetur, *Euclidem* sibi videri maxime ad *Zenonem* & *Protagoram* deflexisse, artemque illam à *Zenone* & *Protagora* inventam conscriptamque Successores ejus eximie calluisse. Et jam ante eum *Petrus Ramus* Schol. Dialect. l. 5. p. 15. *Euclides*, inquit, *Megaricus totaque ejus successio & secta Logicam in primis arripuit, sed Parmenideam illam Zenoniam, nonnihil Sophisticam.*

§. VII.

Antequam vero ad litigiosum illud atque sophisticum disputandi genus accedamus, instituti nostri ratio postulat, ut de *Methodo disputandi Megarica*, cujus inventionem vel ulteriorem culturam EVCLIDI tribuunt, aliquid exponamus. Nititur omnis de ea re disquisitio DIOGENIS LAERTII (1) testimonio, qui EVCLIDIS sententiam sic exprimit: ταῖς ἀποδείξεσιν ἐνίστατο, οὐ κατὰ λήμματα, ἀλλὰ καὶ ἐπιφοράν. quæ verba sic latine reddi possunt: (2) *argumentationes non impugnavit negando sumtiones sed ex conclusionibus absurdas consequentias inferre studuit.*

(1) II, 107.

 (2) Omnis

(2) Omnis cardo in hoc consistit, ut quid ἀπόδειξις, ἐνίστημι, λῆμμα & ἐπιφορὰ significent, evolvatur. Ἀπόδειξις non modo sumitur pro perfecto Demonstrationis systemate, aut etiam Syllogismo, qui ex certis atque indubitatis principiis conclusionem infert; sed & pro quavis argumentatione, qua rei ignotæ notitia quovis modo acquiritur. Posteriorem hanc significationem intendit *Cicero* L. II. Academ. Quæst. p. 1032. a. ita scribens: *Argumenti conclusio, quæ est Græce ἀπόδειξις, ita definitur: ratio, quæ ex rebus perceptis ad id, quod non percipiebatur, adducit.* *Argumenti conclusionem* hoc loco non præcise denotare propositionem illam, quæ ex præmissis infertur, & *Conclusio* καὶ ἐξοχὴν dicitur, ex scopo *Ciceronis*, quem in allegato libro sibi præfixerat, recte colligit *Joh. Casp. Guntherus* in Diss. de Modo disputandi Megarico, Jenæ habita 1707. p. 6. Ἐνίστημι denotat *opponere* seu *impugnare*; quemadmodum & ἔνστασις idem ac *oppositio* est. Vocabula hæc, disputantibus familiaria, cum alibi sæpius, tum apud *Sextum Empiricum* adv. Mathem. XI, 13, 15. hoc sensu occurrunt. *Hesychius*: Ἔνστασις, ἀνταγώνισμα. Ἐνστάτης, ἐχθρὸς ἐνιστάμενος καὶ μὴ ἀναχωρῶν. Patet ex hoc loco vehementem pugnam hac voce denotari; atque non incongrue ad Megaricos eam fuisse applicatam, ex sequentibus palam fiet. *Idem*: Ἐνὶ σταδίῃ, ἐν τῇ συστάδην μάχῃ, ἐνιστάμενον. † Ἐν ἴσῳ, ὁμοίως. ita commata, in editis male cohærentia, distinguenda sunt. Respexit *Hesychius* locum *Homeri* Iliad. H. 240. Λῆμμα & Λήμματα *propositionem in genere*, vel *propositionem majorem*, interdum & *utramque præmissam* designare ex sequentibus locis patebit. *Diogenes Laërtius* VII, 76. Λόγος δέ ἐστι τὸ συνεστηκὸς ἐκ λήμματος ἢ λημμάτων, καὶ προσλήψεως, καὶ ἐπιφορᾶς. *Sextus Empiricus* Pyrrhon-

hon. Hypotypoſ. II, 135. Ἐστιν οὖν ἡ ἀπόδειξις λόγος, δι' ὁμολογουμένων, κατὰ συναγωγὴν, ἐπιφορὰν ἐκκαλύπτων ἄδηλον. vel ſic: λόγος ἐστὶ σύστημα ἐκ λημμάτων καὶ ἐπιφορᾶς. addatur *Idem* adv. Mathem. VIII, 301. Eadem innuit *Cicero* de Divinat. lib II. his verbis: *Sed demus tibi iſtas duas ſumptiones, ea, quæ* λήμματα *appellant Dialectici.* Ἐπιφορὰν denique concluſionem denotare omni caret dubio. Hæc vox in Schola Eleatica ſeu Megarica nata videtur, quam poſtea Stoici ut propriam ſibi vindicarunt, obſervante doctiſſimo *Joachimo Kühnio* noſtro in notis ad *Diog. Laërt. Ariſtoteli* ejus loco συμπέρασμα placuit.

§. VIII.

Sententia huc redire poteſt: EUCLIDES, Sectam Eleaticam ſecutus, nihil præter opinionem admiſit, (1) adeoque ad ἀποδείξεις ſeu argumenta atque prætenſas ab aliis demonſtrationes ita reſpondit, ut omiſſis præmiſſis, veritateque aut falſitate earum non examinatis, tantum concluſionem arriperet, atque ex ea abſurdum deducere allaboraret. Utramque enim vel alterutram præmiſſarum aggreſſurus contrarium principio principium ponere debuiſſet, atque ſic certi aliquid ſtatuiſſe videri potuiſſet, quod

e re ſua non fore exiſtimabat. (2) Illa autem tempeſtate, qua ars categorice concludendi nondum fuit uſitata, per dilemmata diſſerebant; ergo, duarum ſumtionum vel oppoſitione vel ſufficienti partium enumeratione non examinatis, ex concluſione, quæ inde deducebatur, abſurdum quoddam elicere tentabant. e. g. in decantato *Antiſthenis* dilemmate: *Sive pulchram ducis uxorem, ſive deformem; Si pulchram, communis multorum erit; ſi deformem, quotidianum habebis ſupplicium, Ergo, nulla eſt ducenda;* EVCLIDES contra ſumtiones nihil moviſſet, ſed incommoda ex concluſione reſultantia urſiſſet τὸ Ergo, Ergo, usque ingeminando, donec adverſarium de ſumtionum imbecillitate & defectu conviciſſet, atque ſic oſtendiſſet, uxorem utique eſſe ducendam. (3)

(1) *Sextus Empiricus* Pyrrh. Hypot. II. 8.

(2) *Petrus Ramus* Schol. Dialect. I, 5. p. 15. ad verbum ſic reddidit: *Demonſtrationibus inſiſtebat Euclides, non*

ſecun-

secundum sumptiones, sed secundum illationes. *P. Gassendus* de Log. Origine c. 7. ita *Laërtii* mentem exprimit; *Solebat Euclides caeterorum demonstrationes non sumtionibus impugnare, sed conclusionibus duntaxat, nimirum quasi consequutiones forent satis perspicua, illationes congerebat*, Ergo, Ergo, Ergo, *qua arguendi ratio, quasi respirare non sinens, est omnium urgentissima.* In eandem sententiam V. C. *J. J. Syrbius* Instit. Philos. ration. præf. §. 11. *Euclides*, inquit, *aliorum demonstrationes seu sententias non sumptionibus impugnare solebat, sed conclusionibus, ut ex iis varia derivaret incommoda.* V. C. *J. G. Walchius* Hist. Log. quæ extat in Parergis Academicis p. 509. *Existimamus*, inquit, *Diogenem Laërtium significare, quod moris fuerit apud Euclidem aliorum sententias ac conclusiones confutare non per contraria principia, sed per conclusiones, qua continebant varia incommoda.* Cæterum mentem suam viri docti, pace eorum dixerim, non satis clare expressisse mihi videntur. Versio, quæ in editione *Meibomiana* comparet, *Laërtii* verba sic exponit: *Utebatur probationibus, non his qua per assumtionem, sed qua per conclusiones fiunt.* Oedipus itidem, non Davus sit, qui hæc intelligat. *Aldobrandinus* ita vertit: *Argumentorum conclusiones non sumptionibus sed conclusionibus refellendis oppugnabat.* Displicet hæc translatio *Petro Belio*, quare in Dictionario suo Historico-Critico art. *Euclide*, *La version*, inquit, *d'Aldobrandin ne vaut rien; il a beau citer Ciceron, qui a remarqué, que le mot ἀπόδειξις signifie* argumenti conclusio, *& que le mot λῆμμα signifie* Sumtio: *il ne persuadera jamais, qu'il y ait du sens dans ces paroles: combattre les conclusions des argumens non en refutant les propositions, mais en refutant les conclusions.*

(3) Sophistæ, ut adversarium faciliori negotio illaquearent, interrogationibus plerumque uti solebant. Liceat illustrationis gratia exemplum ex *Hermogene* de Rat.

Rat. inven. Orator. Lib. IV. p. 179. ed. *Sturm.* afferre: *Utrum interfuisti his, quæ fiebant, & cum aliis lætatus es, an vero non aderas? Si enim respondeat: adfui & collatatus sum; habet Orator, quod dicat: cur igitur hos accusas quibuscum tu in eadem lætitia fuisti? Si vero dicat: non aderam; occurri ei poterit, quod pœna & mulcta dignus sit, cum viris fortibus in republica non adfuerit.*

§. IX.

Dilemmaticam EVCLIDIS differendi rationem præcipue confirmat LAERTIVS, (1) narrans, eum disputationem, quæ per similitudinem fit, sustulisse, dicentem, eam aut ex similibus aut dissimilibus constare; si ex similibus, circa ipsa potius, quam quibus sunt similia, versati rationem debere; si autem ex dissimilibus, supervacaneam esse comparationem.

(1) II, 107. Eum commendatam præceptori *Socrati* doctrinam Similium frivolo admodum argumento sustulisse judicat *Kekermann* T. I. Opp. p. 101.

§. X.

Et hæc fere sunt, quæ de methodo disputandi Megarica, tempore EVCLIDIS usita-

usitata, reperire licet; unde sequentia eruimus porismata: *Primo* methodum per Syllogismos Categoricos disputandi EVCLIDIS tempestate vel nondum inventam, vel ab eo adhibitam non fuisse, eique argumentationem per Dilemmata placuisse. *Secundo*, eum non ad membra ipsa, ex quibus Dilemmata constant, sed tantum ad conclusionem, ex iis deductam, respexisse & absurdas inde consequentias colligere tentasse. *Tertio*, sublato veritatis criterio, Opinionem tantum admisisse, eamque non solum ad ea, quæ sensuum auxilio comprehendimus, sed & ad judicia nostra extendisse, eorumque imbecillitatem ut ostenderet, ad Sophismata confugisse, quorum largam ab asseclis ejus copiam inventam fuisse legimus. (1) EVBVLIDES enim, qui ex ejus successione fuit, plurimos in dialectica modos interrogandi tradidit, *mentientem, fallentem, electram, cooper-*

tum, *soritem*, *cornutum*, *calvum*. (2) Ex ludo ejus manavit ALEXINUS, cujus itidem contorta & aculeata sophismata memorantur, & qui ob nimium circa fallaces conclusiunculas studium *Elenxinus* cognominatus est. (3)

(1) *Aristoteles* Metaphys. IX, 3. contra Megaricos disputat, dicentes, nec potentias præcedere unquam tempore suos actus, nec etiam eos subsequi, sed tum solum dari in rerum natura, cum actu operantur. conf. *Petrus Fonseca* Comment. ad h. l. T. III. p. 619.

(2) Conf. *Diog. Laërt.* II, 108. add. *P. Gassendus*, de Orig. & variet. Log. c. 3. & *J. G. Walchius* Hist. Log. p. 510. seqq. argumenta illa captiosa illustrantes.

(3) *Diog. Laërt.* II, 109.

§. XI.

Concludimus hinc Megaricos studio altercandi aliisque fallacias struendi fuisse deditos, seque contentionibus non in gratiam veritatis, sed pravarum affectuum libidinem tradidisse. Colligimus inde porro, quam rudia fuerint tempore Megaricorum Artificialis Logicæ initia, quam frequens ab ipsius incunabulis extiterit ejus depravatio, & quam exiguam in Scho-

Schola hac amplificationem & amplitudinem veri nominis Logica acquisiverit. (1)

(1) Conf. *J. G. Walchius* Hist. Log. p. 513. & p. 806.

§. XII.

Quæ cum ita sint, dissertationum Socraticarum pomœria utcunque quidem circumscripsit JOHANNES CLERICUS; (1) Megaricorum vero sectæ addictorum, atque à præceptore SOCRATE haud multum abhorrentium, differendi peritiam à recentioribus quibusdam nimis fuisse extensam, lubens fatebitur, qui veritatem historicam, pro duce supra à nobis assumtam, sectatur. Morem sequuntur, multis Eruditorum familiarem, qui vel propria cogitata Veteribus eo libentius suggerunt, quo facilius sub eorum umbra se latere posse existimant; vel ingenii luxuriantis æstu abrepti priscorum male cohærentia placita in artis formam redigere conatur, ut antiquitati suum servetur pretium.

(1) In Logica P. IV. c. 9. exemplo disputandi ex *Platone* (præsupposito *Socratem* eodem modo disseruisse) allato, sequentes exhibet regulas: 1. Jubet eum, qui ea methodo usurus est, ita se gerere, quasi ab eo, cum quo res ipsi est, vellet id, de quo certatur, discere. 2. Priusquam quid objicere aggredimur, oportet nos eum, cum quo loquimur, si utatur verbis obscuris, interpretationem rogare. Si tandem eo pervenit, ut clare, quod vult, efferat; oportet eum rogare de doctrinæ omnibus partibus ejusque consectariis, non quasi quicquam in iis reprehendamus, sed ut plenius doctrinam perspiciamus, ita ut videatur Magister, nos discipuli.

§. XIII.

Disputatum hactenus de loco LAERTII ex mente eorum est, qui eum ad Logicæ artificiosæ culturam trahunt; sed nescio an verborum Græcorum sententia non alio potius modo exprimi, atque ad loquendi artem trahi debeat. Cæterum dubitationis meæ rationes, chartæ limitibus hic circumscriptus, ad proximum pensum servare cogor; interea tamen non nego, locum istum ad methodum indirecte disputandi occasionem forte egregiam subministrasse.

